

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXX - N. 1

1998

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1998

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO datae <i>Ad tuendam fidem</i> , quibus normae quaedam inseruntur in Codice Iuris Canonici et in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium	3
Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	7
Ex Allocutione ad quosdam Hispaniae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	12
Ex Allocutione ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Visitationis « ad Limina » occasione oblata	14
Ex Allocutione ad quosdam Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Episcopos in Sacrorum Liminum visitatione	19
Ex Allocutione ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis (Minnesota, North Dakota, South Dakota) Sacra Limina Visitantes	22
Allocutio Summi Pontificis ad « Harvard Law School Alumni Association »	26

ACTA CONSILII

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM	27
NOTA EXPLICATIVA: <i>Observations concerning cases in which the pastoral care of more than one parish is entrusted to a single pastor</i>	28
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	33
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in coetu speciali Synodi Episcoporum Asiae	36
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in memoriam Rev.mi D. Guillelmi Onclin	39

ACTA SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
NOTA DOCTRINALIS Professionis fidei formulam extremam enucleans	42
CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
CARTA CIRCULAR a los Excmos. y Revmos. Señores Obispos diocesanos y demás Ordinarios canónicamente facultados para llamar a las sacras Ordenes sobre los escrutinios acerca de la idoneidad de los candidatos	50

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS

CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio I)	60
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio II)	92
NOTITIAE	131
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	132

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE SACRAMENTIS »

Sessio I

(dd. 27 februarii-3 martii 1967 habita)


Diebus 27 februarii ad 3 martii 1967, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendis, convenerunt consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. de Sacramentis (solo excepto sacramento matrimonii). Convenerunt in aula inde ab hora 9,30 a die 27 februarii 1967: Exc.mus Schneider, Exc.mus Bengsch, Exc.mus Vaivods, Exc.mus Matulaitis-Labukas, Ill.mi Georgius Medina et Vincentius Carbone, Rev.mus M'Bunga, Rev.mi Patres Wilhelmus Bertrams, S.I., Antonius Leite, S.I., Otto Semmelroth, S.I., et Ill.mus W. Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere Praesidis functus est, atque Rev.mus N. Pavone, adiutor a studiis. Non adfuit Ill.mus P. Mattioli, gravi infirmitate impeditus; qui supremum diem obiit die 1 martii 1967.

Relationem de quaestionibus propositis paraverat Exc.mus Schneider; votum miserant Ill.mi Medina et Carbone, Rev.mi Patres Bertrams, Leite et Semmelroth.

Ad Coetum studiorum in hac sessione pertinebat responsum dare duabus quaestionibus, quae a Commissionis Secretaria erant propositae, videlicet:

- 1) quatenam sint recognoscenda, scilicet mutanda, addenda aut supprimenda in normis generalibus de sacramentis (can. 731-736);
- 2) quatenam sint recognoscenda, in legislatione canonica de sacrae ordinationis ministro (can. 951-967).

Antequam autem ad studium illarum quaestionum fiebat transitus, exposuit Ill.mus Secretarius adiunctus quaestionem generalem, quam de hac materia proposuerunt aliqui Consultores huius coetus, quaestionem scili-



cet de divisione materiae huius tituli atque de parte quae in eodem tribuenda est Sacrae Liturgiae. Quapropter in deliberatione primo facta est discussio de hac quaestione generali, et postea tantum de duabus quaestionibus propositis facta est dissertatio.

I. QUAESTIO GENERALIS DE DIVISIONE HUIUS TITULI

De sententia Ill.mi primi Consultoris, Liber III Codicis, cuius titulus proponit «De exercitio sacri Ecclesiae ministerii», complecti debet tres partes: prima pars esset «De Sacra Ecclesiae Liturgia», in qua diversi haberentur tituli, primus scilicet «De S. Liturgia in genere», secundus «De Sacramentis in communi», et deinde tituli subsequentes de Sacramentis singulis in specie, de sacramentalibus, de temporibus sacris etc.; secunda pars esset «De Ecclesiae sacro magisterio»; tertia pars esset «De regimine pastoralis». In Libro IV, iuxta eundem, tractandum est de bonis Ecclesiae temporalibus.

Aliam autem divisionem huius materiae proponit Rev.mus secundus Consultor. Titulus generalis ab eo proponitur «De ministerio cultus»; et sub hoc titulo haberentur duo subtituli seu duae partes, scilicet: 1. De ministerio verbi; 2. De Sacramentis.

Animadvertit Ill.mus Secretarius adiunctus:

1) Quasdam normas de S. Liturgia in Codice esse tradendas, sed requiri normas canonicas, quae «agenda» contineant, et non sint meram expositionem doctrinae theologiae circa S. Liturgiam, quae quidem doctrinae expositio habetur in documentis Concilii Vaticani II, et non debet esse, qua talis, obiectum normarum Codicis I.C.

2) Divisionem novam Codicis elaborandam esse, sed non pertinere ad hunc coetum de hac divisione novi Codicis agere.

3) Quae de S. Liturgia tradenda sunt, non esse normae de ritibus et caeremoniis, sed normas generales disciplinares de S. Liturgia.

Exc.mus tertius Consultor notat ad alios coetus pertinere divisionem dare Codicis sed, ait, ad nos pertinet scire quanam partes inserendae sint in Codicem. Utrum de S. Liturgia tradendae sint normae, dubitationes habet, sed aestimat quasdam normas disciplinares tradi posse de S. Liturgia in genere, non autem de ritibus et caeremoniis.

De sententia Ill.mi quarti Consultoris, quaedam normae generales de

S. Liturgia tradendae sunt, sed in alio loco, quia Liturgia implicat alias quaestiones quae ad sacramenta respectum non habent; igitur, necessarius esset titulus specialis.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit nexum cum sacramentis adesse in omnibus locis, theologice intelligendo: omnes orationes et functiones ordinantur ad sacramenta, etiam Liturgia verbi. Cui respondet Ill.mus quartus Consultor hunc nexum quidem adesse, sed non esse iuridicum.

Rev.mus quintus Consultor affirmat ministerium Ecclesiae fundari in duabus notionibus fundamentalibus: conferre vitam Domini, enuntiare verbum Domini. Ita haberetur duplex pars: 1. Cultus et Sacramenta; 2. Verbum Domini: scilicet Magisterium et regimen. Sed fatetur se non clare videre ordinationem materiae.

Ill.mus Secretarius ad. proponit ut titulus specialis habeatur de S. Liturgia in genere, et deinde titulus de Sacramentis, et aestimat alibi de Ecclesiae regimine agendum esse. Consentunt Rev.mi quintus, sextus et Ill.mus quartus Consultores.

Proponit Exc.mus tertius Consultor ut in alia sessione huius coetus de S. Liturgia agatur, quia desunt propositiones de hac disciplina et requiritur ut omnia membra coetus possint quaestionem studio subiicere.

Ill.mus primus Consultor instat, quia sunt quaestiones quae in parte generali tractari debent et non ubi tractatur de sacramentis in genere, uti v.g. quaestio de taxis solvendis. Attamen, si canones nunc enuntiantur de sacramentis, provisorie tantum, ita ut postea ad partem generaliore transferri possint, nullam habet difficultatem ut illae quaestiones nunc agantur. Notat insuper canones Codicis non tantum normas enuntiare debere, sed etiam fundamentum theologicum normarum, quia hodie sacerdotes, praesertim iuniores, oppositi cum sint legibus Ecclesiae, necessitatem vel utilitatem legum intelligere debent, et ideo leges theologice fundari debent, scilicet in legibus rationes theologicae addi debent.

Ill.mus quartus Consultor animadvertit iam in Codice I.C. hodierno saepius indicari fundamentum theologicum canonum. Convenit de propositione secundum quam quaestio de normis S. Liturgiae ad aliam sessionem remittenda est, et addit etiam consulendos esse peritos in re liturgica.

Rev.mus secundus Consultor consentit cum Ill.mo primo Consultore, et affirmat fundamentum theologicum normarum esse affirmandum. Aestimat quaestionem de normis liturgicis ad aliam sessionem esse remittendam, addens tamen easdem normas requiri breves et desumendas esse ex Constitutione Concilii *De Sacra Liturgia* et ex Instructione liturgica.

Rev.mus quintus Consultor confirmans quae Ill.mus primus Consultor

dixit de aversione erga leges in Ecclesia, et ipse affirmat normas requiri theologicæ fundatas, praesertim in materia de sacramentis. Attamen et ipse affirmat Codicem non posse esse librum doctrinae. Aestimat et ipse quaestionem de disciplina liturgica ad aliam sessionem esse remittendam.

Cum eo convenit Rev.mus sextus Consultor.

Concludit ergo Ill.mus Secretarius ad. in proxima sessione quaestionem tractandam esse de normis disciplinaribus S. Liturgiae, et rogat ut Consultores, membra huius coetus, de hisce normis proposita praeparent. Rogat igitur ut modo transitus fiat ad studium normarum de sacramentis in genere.

II. DE SACRAMENTIS IN GENERE

Imprimis, secundum Rev.mum quintum Consultorem, cui assentit Ill.mus quartus Consultor, canon requiritur introductorius, in quo exponitur indoles socialis et ecclesiologica sacramentorum. Notat quidem Ill.mus primus Consultor hanc quaestionem pertinere ad S. Liturgiam, sed alii aestimant hanc indolem affirmandam esse etiam ubi de sacramentis in genere quaestio est. Proponit Ill.mus Secretarius ad. ut haec indoles affirmetur in primo canone, scilicet can. 731, § 1, in quo insimul reverentia erga sacramenta habenda affirmatur.

Can. 731, § 1

Proponit Exc.mus tertius Consultor ut loco verborum «summa reverentia», adhibeantur verba «debita reverentia», quia secundum principia a Concilio Vaticano II admissa, disciplina haec est mitiganda. Aestimat Ill.mus primus Consultor sermonem esse faciendum non de Sacramentis Novae Legis, sed de Sacramentis Novi Foederis, et dicendum esse sacramenta celebrari, non autem eadem administrari, quia haec terminologia magis concordat cum doctrina Concilii et minus iuridice sonat. Iuxta Rev.mum secundum Consultorem, diligentia dici debet «debita» sed reverentia dici debet «summa».

Proponit Ill.mus Secretarius ad. ut formula adhibeatur «summa reverentia debitaque diligentia», quae quidem formula omnibus placet.

De locutione «Novae Legis» disseritur inter Consultores. Ill.mus primus Consultor instat ut adhibeatur locutio «Novi Foederis», pro qua militant argumenta ex Sacra Scriptura et argumenta theologica. Notat vero

Rev.mus sextus Consultor Concilium Tridentinum semper adhibere expressionem «Novae Legis», et aestimat Exc.mus tertius Consultor non esse rationem stringentem ut locutio canonis mutetur. Suffragium ferentes, sunt in favorem locutionis «Novae Legis», Exc.mus tertius, Ill.mus quartus, Rev.mi quintus, secundus et sextus Consultores atque Ill.mus Secretarius adiunctus. E contra, locutionem «Novi Foederis» aptiorem censet Ill.mus primus Consultor. Remanet ergo locutio «Sacramenta Novae Legis».

Proponit Ill.mus primus Consultor ut verba «media sanctificationis et salutis», alio ordine adhibeantur «media salutis et sanctificationis». Anadvertit Rev.mus secundus Consultor sufficere verba «media sanctificationis», quia «sanctificatio» et «salus» theologice sunt idem.

Respondet autem Ill.mus primus Consultor, magis convenire verba «media salutis». Ad quod notat Rev.mus secundus Consultor in sanctificatione implicari salutem. Tandem proponit Exc.mus tertius Consultor ut remaneant verba canonis «media sanctificationis et salutis», quia aspectus diversi in verbis illis habentur. Quocum conveniunt Ill.mus quartus, Rev.mi quintus, sextus et secundus Consultores, ita ut relinquatur textus uti est in canone.

Recipiendam aestimant membra coetus locutionem «celebrare sacramenta», quia modo magis concreto sermo fit de sacramentis, sed rogant ut in nota fiat referentia ad Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 14, 26, 27, 28, 59.

Proponit Ill.mus Secretarius ad. ut de novo textu, quem parabit, postea dissertatio fiat. Omnes consentiunt.

Die subsequente, novus textus propositus Consultoribus submittitur ab Ill.mo Secretario adiuncto. Textus propositus sic sonat: «Maximi momenti sunt Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita, quae praecipua sunt sanctificationis et salutis media, quaeque magnopere conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam vel firmandam atque regale Populi Dei sacerdotium manifestant. Quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa reverentia debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum fideles».

Alium textum proponit Ill.mus primus Consultor, scilicet: «Quia Sacramenta sunt praecipuae actiones Ecclesiae, quibus corpus ipsum efficitur et manifestatur, celebratio eorum indolem ecclesialem pro uniuscuiusque natura et circumstantiis induere debet».

De textu ab Ill.mo primo Consultore proposito non consentiunt plerique Consultores.

Ad textum ab Ill.mo Secretario ad. propositum quod attinet, placet

Ill.mo quarto et Rev.mo sexto Consultoribus, qui tamen aestimant suppressenda esse verba «maximi momenti sunt», quae quidem sunt superflua. Rev.mus secundus Consultor censet suppressi posse verba: «Ecclesiae concedita», et insuper proponit ut in fine potius dicatur: «atque communitas sacerdotalis ad actum deducitur». Plerique autem Consultores aestimant textum ab Ill.mo Secretario ad. propositum, cum emendationibus additis, servandum esse. Quare admittitur textus sequens uti obiectum canonis 731: «Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concedita praecipua sunt sanctificationis et salutis media, magnopere conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam, atque regale Populi Dei sacerdotium manifestant.

Quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles».

Can. 731, § 2

Huic conventui interest etiam Exc.mus Felici, Pro-Praeses Commissionis.

Imprimis, secundum propositionem factam ab Ill.mo quarto et Rev.mo secundo Consultoribus, praescriptum huius § 2 debet esse praescriptum novi canonis, qui provisorie dicitur can. 731 bis: materia enim diversa est ab ea quae in can. 731, § 1 tractatur. Omnes de hac mutatione conveniunt.

De ipso praescripto huius canonis varia sunt proposita. Quae quidem in hoc conveniunt quod mutanda sunt verba praescripti, ut sint conformia decretis Concilii Vaticani II, in praxi Decr. *Orientalium Ecclesiarum* (nn. 26, 27, 28, 29) et Decr. *Unitatis redintegratio* (n. 8).

Exc.mus tertius Consultor proponit textum in quo mentio fit tantummodo de Orientalibus, qui nempe, secundum Decreta Concilii, ad quaedam sacramenta admitti possunt. Sed, ut animadvertit Ill.mus Secretarius ad. regula ita stabilita est nimis specialis, et nihil disponit de aliis non catholicis; in canone Codicis requiritur regula magis generalis. Ill.mus primus Consultor proponit regulam sequentem: «omnino vetitum est Sacramenta Ecclesiae incapacibus ministrare, necnon sine gravissima causa indignis». Sed, notat Ill.mus Secretarius adiunctus, regulam hanc esse nimis indeterminatam et non respicere non catholicos qua tales. Insuper proponit idem Ill.mus Secretarius ad. ut modo positivo regula enuntietur, scilicet: «ad sacramenta admitti possunt...».

Rev.mus secundus Consultor, volens rationem addere praescripto, proponit ut dicatur: «quia indoles sacra Ecclesiae ut communitatis sacerdotalis

per sacramenta ad actum deducitur (cf. Const. *Lumen gentium*, n. 11) et sacramenta fidem non tantum supponunt sed etiam exprimunt, vetitum est sacramenta non catholicis ministrare».

Sed, observant alii hac formula nihil statui de Orientalibus, quibus quaedam sacramenta ministrari possunt.

Proponit Rev.mus sextus Consultor ut canon incipiat verbis: «Firmis praescriptis can. 1258, Orientalibus qui bona fide inveniuntur... etc.» (ut in Decr. *Orientalium Ecclesiarum*). Sed iterum observatur his verbis nullam tradi regulam generalem, sed solummodo regulam de Orientalibus.

Ill.mus primus Consultor censet normam enuntiandam esse non nimis strictam, sed normam vi cuius baptizati non catholici admitti possunt ad sacramenta, salvo exceptionibus pro singulis sacramentis statuendis. Non agitur tantum de Orientalibus, sed quaestio etiam ponitur de anglicanis, de antiquis catholicis etc.

Ill.mus Secretarius censet normam praecisam esse enuntiandam in hoc loco, et affirmandum esse per se non catholicos non posse admitti, sed salvo exceptionibus (in canonibus de singulis sacramentis quae enuntiandae sunt).

Conveniunt plerique formulam positivam esse eligendam, et proponit Ill.mus Secretarius ad. novam formulam sequentis tenoris: «Ad sacramenta celebranda admitti possunt christifideles, qui rite dispositi sunt, catholici, quippe qui plene sint communionis ecclesiasticae participes (aut consortes). Christiani vero qui eiusdem communionis non plene sunt participes, ad quaedam tantummodo admitti possunt sacramenta, si sint bona fide et sponte id petant, iuxta praescripta canonum (infra sunt indicandi, ubi de singulis sacramentis). Ad eadem celebranda numquam admitti possunt qui per baptismum Ecclesiae non sunt incorporati».

De hac formula ita proposita habetur dissertatio. Placet haec redactio Exc.mo tertio Consultori. Ad primam partem huius textus, notat Ill.mus primus Consultor: de catholicis dici debet quod *debent* admitti. Sed respondet Ill.mus Secretarius ad. illud non esse verum, quia v.g. ad ordinem non debent admitti catholici, sed possunt. Rev.mus secundus Consultor igitur proponit ut dicatur «catholici admittuntur». Plerique autem censent servanda esse verba «admitti *possunt*». Exc.mus Felici aestimat dici debere «possunt» aut «valent»; alii, ut Ill.mus quartus Consultor et Secretarius ad. atque Rev.mi sextus et quintus Consultores praeferunt verbum «possunt».

Alia difficultas est in determinando verbo initio textus, scilicet utrum dici debeat «ad sacramenta celebranda», aut «ad sacramenta suscipienda». Post deliberationem conveniunt omnes dici posse «ad sacramenta admitti possunt». Insuper quaedam parvae correctiones textui admittuntur, ita ut

textus admittatur qui sic sonat, et quidem textus can. 731 bis: «Ad Sacramenta admitti possunt catholici, qui rite dispositi sunt. Ceteri vero christiani, qui nempe communionis ecclesiasticae plene non sunt participes, si bona fide inveniuntur, rite sint dispositi et sponte id petant, ad quaedam Sacramenta, secluso semper scandalo, admitti possunt, secundum praescripta canonum (remittebatur ad canones de singulis sacramentis, in quibus indicatur eos christianos, verificatis dictis conditionibus, admitti posse). Ad eadem numquam admitti valent qui non sunt per baptismum Ecclesiae incorporati».

Can. 732, § 1

Plerique aestimant textum canonis 732, § 1 servari posse uti est in Codice. Solus Rev.mus secundus Consultor addendum proponit textum, quo explicatur fundamentum initerabilitatis sacramentorum illorum. Proponit autem Ill.mus Secretarius ad. ut servetur textus Codicis, sed dicatur: «quippe quae characterem imprimant», ut ratio indicetur. Conveniunt omnes, et ita textus admittitur:

«Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterari nequeunt».

Can. 732, § 2

Plerique animadvertunt mitigandam esse praescriptionem canonis quae saepe est scandalo aliis christianis, scil. fratribus seiunctis.

Variae sententiae proponuntur de hoc canone:

Exc.mus tertius Consultor censet addendum esse quod, si prudens sit dubium, «*intuitu salutis aeternae* sub conditione iterum conferantur». Additio huius rationis, iuxta eum, efficiet ut melius intelligatur sacramenta illa, dubie valida si sint, sub conditione iterum conferri debere.

Ill.mus primus Consultor aestimat textum in hoc sensu mutandum esse: «Si vero prudens dubium existat num revera vel num valide *celebrata* fuerint, *ritus sacramentalis* iterum sub conditione *celebrabitur*». Si enim revera valide fuerint celebrata illa sacramenta, non iterum celebratur sacramentum, sed solummodo iterum habetur ritus sacramentalis.

Rev.mus secundus Consultor censet supprimenda esse verba «sub conditione» et dici non debere «iterum conferantur», et ideo proponit ut textus sit: «Si vero prudens dubium...vel num valide collata fuerint, *nunc conferantur*». Ill.mus Secretarius ad. aestimat verba «sub conditione, esse supprimenda, quia nullum habent sensum: si enim sacramenta

fuerint invalide celebrata, nunc revera celebratur sacramentum; si vero fuerint valide celebrata, nihil fit altera vice, scilicet illa secunda celebratio non est sacramentum. Addit Rev.mus secundus Consultor nimis iuridice sonare verba «sub conditione» et saepe causare scandalum. Instat quidem Exc.mus tertius Consultor allegando rationem saepius adductam in favorem verborum «sub conditione», scil. vitari debet iniuria sacramento, quae habetur si minister absoluta intentione sacramentum dubie validum ministrat. Respondet Ill.mus Secretarius ad. iniuriam non adesse sacramento, quod, supposita valide prima collatione, non adest. Insuper notat Rev.mus secundus Consultor intentionem ut fiat sub conditione semper virtualiter adesse. Itaque conveniunt membra verum «iterari» vitandum esse, eo vel magis quod in § 1 dicitur illa sacramenta iterari non posse. Animadvertit Exc.mus tertius Consultor imprimis verbum «iterari» aut «iterum» vitandum esse, et insuper necesse esse ut sanetur dubium. Addit etiam Rev.mus quintus Consultor intentionem «sub conditione» conferri sacramenta in casu dubii, semper adesse virtualiter, et eam exprimi non debere.

Suffragio admittitur imprimis verbum «Sacramenta» esse servanda, et non esse admittenda verba «ritus sacramentalis iterum celebrabitur». Omnes de hoc consentiunt, excepto Ill.mo primo Consultore.

Ad substantiam praescripti quod attinet, proponit Ill.mus Secretarius ad. aliam formam, qua vitatur usus verbi «iterum» et qua quoad substantiam praescriptum servatur: «Si vero prudens dubium existat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant». Haec autem formula non placet Exc.mo tertio Consultori, instans ut verba «sub conditione» servantur aut ut dicatur «Si vero prudens dubium... collata fuerint, *dubium per certam collationem tollendum est*». Sed respondet Ill.mus Secretarius ad. illam formulam esse minus claram quam priorem, quae quidem verbis in iure solito adhibitis distincte substantiam praescripti exprimit. Suffragium ergo fit de formula ab Ill.mo Secretario ad. proposita: haec formula acceptatur per quattuor suffragia (Ill.mus primus, Rev.mi secundus et quintus Consultores atque Ill.mus Secretarius ad. contra tria: Exc.mus tertius, Ill.mus quartus et Rev.mus sextus Consultores).

Textus igitur can. 732, § 2 est: «Si vero prudens dubium existat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant».

Hic textus, saltem ut textus provisorie admissus retinetur, nisi forsan alius textus postea proponatur qui magis placet.

Can. 733, § 1

Variae iterum sententiae habentur:

Textum omittendum proponit Ill.mus primus Consultor, quia de hoc praescripto agendum est ubi de S. Liturgia agetur.

Exc.mus tertius Consultor proponit ut retineatur formula canonis, sed ut dicatur «quae in libris ritualibus ab auctoritatibus competentibus probatis praecipiantur».

Rev.mus secundus et Ill.mus quartus Consultores aestimant adhibendam esse formulam secundum praescriptum Concilii Vaticani II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63, b.

Rev.mi quintus et sextus Consultores censent in hunc locum inserendum esse textum qui habetur in Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5: «Curent presbyteri scientiam et artem liturgicam colere, ut, suo ministerio liturgico, a christianis communitatibus sibi commissis, perfectius in dies laudetur Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus», et consentit Ill.mus quartus Consultor.

Facta dissertatione, conveniunt plerique in hoc canone servanda esse verba «In Sacramentis ministrandis et suscipiendis», deleteo verbo «conficiendis». Conveniunt etiam omnes adhibenda esse verba «ritus et caeremoniae, quae in libris ritualibus a *competenti auctoritate* probatis praecipiantur», loco «quae ab Ecclesia», et in nota remittendum esse ad Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63. Quare textus can. 733, § 1 est:

«In Sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate servantur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus a *competenti auctoritate* probatis praecipiantur» (Nota: cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63).

Can. 733, § 2

Proponit Ill.mus primus Consultor aliam praescriptionem, quae scil. esset: «fideles iusta de causa secundum ritum non proprium sacramenta accipere possunt, salvo exceptionibus (quae pro singulis sacramentis statuuntur)».

Ill.mus quartus Consultor affirmat prae oculis habendum esse praescriptum n. 14 Decreti *Orientalium Ecclesiarum*, de sacramento Confirmationis.

Notat Ill.mus Secretarius ad. formulam Ill.mi primi Consultoris admitti non posse: principium remanere debet quod unusquisque sacramenta re-

cipere debet in suo proprio ritu, sed exceptiones principio annuntiari debent per verba «salvis praescriptis can. ...» qui postea indicabuntur. Etiam admitti non potest quod Baptismum unusquisque in quovis ritu accipere potest, quia per ritum Baptismi quis pertinet ad determinatum ritum. Conveniunt ergo membra coetus servandam esse formulam Codicis, sed postea exceptiones omnes esse addendas, et in hac § esse remittendum ad illas exceptiones.

Itaque textus can. 733, § 2 est sequens: «Unusquisque suum ritum sequatur, salvis praescriptis can. 851, § 2, 866 et ...».

Can. 734, § 1

Ill.mus primus Consultor proponit regulam severiorem, iuxta quam adhiberi debent olea a proprio Episcopo benedicta, quia ita magis manifestatur communitatis unitas, scil. communio cum Episcopo proprio.

Exc.mus tertius Consultor aliquam mutationem textui Codicis proponit: «seiuunctis casibus necessitatis».

Proponit textum aliquatenus mutatum Ill.mus Secretarius adiunctus: «In ministrandis Sacramentis, in quibus Sacra olea adhibenda sunt, sacri ministri utantur oleis quae ab Episcopo feria V in Coena Domini proxime superiore benedicta sunt, nec veteriora adhibeant nisi necessitas urgeat».

Sententia Consultorum est regulam non esse severiorem reddendam, non ergo esse admittendam propositionem ab Ill.mo primo Consultore factam.

Insuper admittitur formula ab Ill.mo Secretario ad. proposita, quae clarius exprimit praescriptum. Itaque Can. 734, § 1: «In ministrandis Sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, ministri utantur oleis, quae ab Episcopo feria V in Coena Domini proxime superiore benedicta sunt, nec veteriora adhibeant, nisi necessitas urgeat».

Can. 734, § 2

Textus de agendi ratione cum deficiat oleum, expungendus dicitur ab Exc.mo tertio et ab Ill.mo primo Consultoribus, quia pertinet ad ius liturgicum.

Ill.mo Secretario ad. videtur quod retinendus est aliquis textus, quia agitur in eo non de ritibus et caeremoniis, sed de praescripto disciplinari. Servandum esse aliquem textum censet etiam Ill.mus quartus Consultor, quia secus, per comparisonem cum priore Codice, falsa interpretatio exsurgit.

Rogat Exc.mus septimus Consultor utrum praescriptum § 2 non possit

conungi cum praescripto § 1, sed admittit quod agitur de materia diversa et quod ideo remanere debet § 2 ut praescriptum distinctum.

Proponit Exc.mus tertius Consultor ut in canone potestas fiat sacerdotibus olea benedicendi: haec delegatio eis dari potest.

Animadvertit Ill.mus quartus Consultor benedictionem oleorum reservandam esse Episcopo, saltem in casibus communibus. Notat Ill.mus primus Consultor in Oriente solum Patriarcham olea benedicere posse. Admittit tamen nullam esse difficultatem in delegatione.

Proponit ergo Ill.mus Secretarius ad. ut textus sit: quod, si Episcopus adiri nequeat, sacerdos ministrans olea benedicere valet. Omnes consentiunt, et admittitur Can. 734, § 2: « Oleo benedicto deficiente, si Episcopus adiri nequeat, sacerdos sacramenta legitime ministrans olea benedicere valet ».

Can. 735

Conveniunt omnes mutandum esse praescriptum huius canonis, quia facultas concessa est sacerdotibus ut oleum infirmorum secumferant, ut, in casu urgenti, possint sacramentum hoc ministrare (1965).

Iuxta Ill.mum quartum Consultorem, servari debet obligatio servandi oleum in Ecclesia, quia est ratio decentiae, et quia, absente parochi, alii sacerdotes oleum non habebunt si in domo parochi servatur. Rev.mus secundus Consultor censet dicendum non esse « in Ecclesia », sed « in loco sacro ». Notat Exc.mus tertius Consultor generatim intolerabile esse parochis quod quaerere debent oleum in Ecclesia; ipse proponit « in decenti custodia, regulariter in Ecclesia ». Proponit Secretarius adiunctus ut per duas §§ praescripta ita enuntientur:

§ 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetret, eaque in Ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdote licet oleum infirmorum secumferre ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

Omnes de hoc textu conveniunt. Attamen Rev.mus sextus Consultor proponit ut addatur quod, si necessarium, etiam domi potest servari oleum. Sed, ut notat Rev.mus quintus Consultor, talis additio non necessaria, quia implicita est in § 2.

Igitur textus est: Can. 735, § 1: « Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetret, eaque in Ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet ».

§ 2: Cuilibet sacerdote licet oleum infirmorum secumferre ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat ».

Nota: in § 1, loco «petere debet», admittitur verbum «impetret», quia impetrare est «petere et obtinere».

Can. 736

Huius can. praescriptum est quod minister nihil exigere vel petere potest occasione ministrationis sacramentorum, praeter oblationes de quibus in can. 1507, § 1.

Notat Rev.mus quintus Consultor aliquam esse contradictionem inter can. 736 et can. 1507, § 1. Censet Ill.mus primus Consultor canonem esse supprimendum, quia de hac materia agendum est ubi de S. Liturgia, quia requiritur norma generalis. Insuper vult ut norma generalis illa sit ministrum nihil umquam accipere posse occasione ministrationis sacramentorum. Rev.mus sextus Consultor aestimat dici debere quod sacerdos potest per renuntiationem generalem valedicere illis oblationibus seu taxis et quod tantummodo sponte oblata recipere debet. Ill.mus quartus Consultor affirmat necesse esse ut differentiae inter fideles, «secundum classes», vententur.

Notat Ill.mus Secretarius ad. de differentia inter fideles supprimenda agendum esse in can. 1507, § 1. Proponitur ergo ut textus canonis remaneat, sed ut supprimatur verbum nimis durum «exigere». Itaque textus qui admittitur est: Can. 736: «Pro Sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte petat, salvo praescripto can. 1507, § 1».

TEXTUS CANONUM

Can. 731. Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita, praecipua sunt sanctificationis et salutis media, magnopere conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam atque regale Populi Dei sacerdotium manifestant. Quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles.¹

Can. 731 bis. Ad Sacramenta admitti possunt catholici, qui rite dispositi sunt. Ceteri vero christiani, qui nempe communionis ecclesiasticae plene non sunt participes, si bona fide inveniantur, rite sint dispositi et sponte

¹ Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 14, 26, 27, 28, 59.

id petant, ad quaedam sacramenta, secluso semper scandalo, admitti possunt, secundum praescripta canonum (qui infra recensendi sunt). Ad eadem nunquam admitti valent qui non sunt per Baptismum Ecclesiae incorporati.

Can. 732, § 1. Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterari nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium exsistat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant.

Can. 733, § 1. In Sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate servantur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus a competente auctoritate probatis praeciuntur.²

§ 2. Unusquisque suum ritum sequatur, salvis praescriptis cann. 851, § 2, 866, et... (alii postea indicandi).

Can. 734, § 1. In ministrandis Sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, ministri utantur oleis quae ab Episcopo feria V in Coena Domini proxime superiore benedicta sunt, nec veteriora adhibeant, nisi necessitas urgeat.

§ 2. Oleo benedicto deficiente, si Episcopus adiri nequeat, sacerdos sacramenta legitime ministrans olea benedicere valet.

Can. 735, § 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetret, eaque in Ecclesia, decenti custodia, diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

Can. 736. Pro Sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte petat, salvo praescripto can. 1507, § 1.

III. DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Declarat Ill.mus Secretarius ad. quaestionem huic coetui tractandam quae commissa est esse quaestionem de S. Ordinationis ministro (cann. 951-967); sane, sunt tres canones generales introductorii ad disciplinam Codicis de S. Ordinationis disciplina, qui quidem, quamvis proprie non

² Cf. CONC. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63.

pertineant ad materiam in hoc coetu tractandam, tamen considerari possunt ut quaestiones praeiudiciales, quia a nonnullis Consultoribus in votis quae fecerunt tractantur. Unde, sub A. quaestiones praeliminares tractantur, sub B. diversi canones de S. Ordinis ministro.

A. QUAESTIONES PRAEIUDICIALES

1. *Quaestio de Ordinibus minoribus et de Ordinibus maioribus*

In votis oblati, quaedam sententiae expositae sunt, scilicet:

a) sententia Ill.mi primi Consultoris: cum obsoleti sint Ordines ostiarius et exorcistatus, qui quidem parum conferunt ad formationem alumnorum et minime intelliguntur ab iis, supprimi debent Ordines minores, solo excepto Ordine *lectoratus*; inclinatur in sententiam iuxta quam servandus est Ordo subdiaconatus, sed ut Ordo minor, et qui simul complecteretur acolythatum.

b) sententia Rev.mi secundi Consultoris est supprimendos esse Ordines minores omnes et etiam subdiaconatum, quia nullum hodie obtinent momentum reale; etiam supprimenda est prima tonsura, quae ad ordines monasticos pertinet;

c) sententia Rev.mi sexti Consultoris est supprimendos esse Ordines minores, sed servandum esse *subdiaconatum*, sed ut Ordinem minorem, et forsitan primam tonsuram.

Sequitur dissertatio de hac quaestione.

Exc.mus tertius Consultor quaestionem valde difficilem autumat, sed rogat ut, si suppressi habeantur Ordines minores, determinetur aliqua caeremonia, inde ab initio cursus theologici habenda, qua inducitur vinculum cum dioecesi et alumnus fit clericus.

Animadvertit Ill.mus Secretarius ad. in coetu «De Clericis» admissum esse suppressionem Ordinum minorum et servandum esse uti Ordinem minorem Subdiaconatum, et notat subdiaconatum in initio conferri posse et sic constituere vinculum incardinationis in dioecesi aut in religione; ita fuit admissum a coetu «De Clericis».

In favorem *suppressionis Ordinum minorum* sunt Exc.mus septimus, Exc.mus octavus, Ill.mus primus (dummodo inde ab initio aliquod vinculum habeatur alumni cum dioecesi aut religione), Ill.mus quartus, Rev.mi secundus et sextus (qui subdiaconatum appellaret lectoratum), et

etiam Ill.mus Secretarius adiunctus Rev.mus quintus Consultor fatetur nullam esse difficultatem in hac suppressione, et allegat rationem S. Thomae, scilicet omnes Ordines simul esse sacramenta. Forsan, iuxta eundem, servandus est Lectoratus, et insuper rogat ut habeatur aliquod vinculum initiale.

Observat autem Ill.mus Secretarius ad. lectoratum potius cohaerere cum sacerdotio regali omnium fidelium, et revera laicos hoc officium hodie exercere.

Animadvertit Ill.mus primus Consultor lectoratum servari in Ritibus Orientalibus; sed observat Rev.mus secundus Consultor argumentum non valere: latini iam reformarunt Liturgiam, Orientales illam reformationem non iam fecerunt.

Exc.mus tertius Consultor aestimat difficultatem adesse in suppressione Ordinum minorum, scilicet ita deserimus quod admisit Ecclesia antiqua, ita ut scissura habeatur inter Ecclesiam antiquam et Ecclesiam hodiernam.

Respondet Rev.mus secundus Consultor hanc scissuram iam adesse, quia nullus hodie est tenor Ordinum minorum; et confirmat Ill.mus quartus Consultor, allegans officia illa Ordinum minorum hodie non existere ut officia separata.

Votum itaque exprimit coetus hic, quod est sequens: *supprimantur Ordines minores* hodie existentes in Ecclesia latina; sed *introducatur* quaedam *caeremonia* (quae potest esse subdiaconatus), *qua stabilitur vinculum* cum dioecesi aut religione, et haec caeremonia vinculum inducens habeatur «a primo anno cursus theologici» aut «a tertio anno studiorum Seminarii» (qui est primus theologiae), aut «tres annos ante sacerdotium».

2. *Alia quaestio est – eam ponit Ill.mus primus Consultor – de ratione et exemptione religiosorum*

Consideranda est tantummodo ut videatur utrum opportunum sit quod religiosi exempti habeant ius dandi litteras dimissorias, et quidem ita ut haec facultas sit propria conditioni iuridicae familiae religiosae.

Respondet Ill.mus Secretarius ad. ad hunc coetum non pertinere quaestionem de exemptione, et hunc coetum supponere tantum conclusiones ad quas devenerunt aut devenient Consultores in coetu «De Religiosis», et rationem esse habendam etiam conclusionum quas proponunt Consultores in coetu «De Clericis». Ill.mus Secretarius ad. deinde legit canones qui propositi sunt de incardinatione a coetu «De Clericis».

3. *Tertia quaestio est de incardinatione et excardinatione*

Eam movet in voto suo Ill.mus primus Consultor. Sed Ill.mus Secretarius ad. legit conclusiones quas de hac materia admisit coetus «De Clericis», et membra huius coetus «De Sacramentis» consentiunt cum iisdem.

Can. 948

De hoc canone novum textum proponit Rev.mus secundus Consultor, videlicet: «Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit, ut in persona Christi pascant populum Dei, cuius sunt pastores ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri» (cf. Const. *Lumen gentium*, n. 20).

Observat Rev.mus sextus Consultor melius delenda esse verba «ex Christi institutione», sed alii aestimant haec verba esse servanda.

Aliam textus redactionem, magis congruam cum Const. *Lumen gentium*, proponit Ill.mus Secretarius adiunctus. Qui textus admittitur uti est, et sonat: «Ordo ex Christi institutione inter christifideles constituit sacros ministros seu clericos, qui quidem eodem deputantur ut in persona Christi pascant Dei populum, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri».

Can. 949

Quaestio in hoc canone tractata pendet a quaestione praediudiciali. Attento voto ab hoc coetu expresso et attenta propositione facta a coetu «De Clericis», secundum quam nempe supprimerentur Ordines minores et remaneret subdiaconatus tamquam Ordo minor, qui simul esset primum vinculum incardinationis et unionis cum dioecesi, admittitur textus sequens: «Ordines maiores sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus; ordo minor est subdiaconatus».

Animadvertit quidem Exc.mus tertius Consultor non fuisse usum appellandi Episcopatum ordinem maiorem. Sed ipsi respondetur illum usum esse mutandum, praesertim post doctrinam de Episcopatu in Conc. Vat. II stabilitam.

Rogat Ill.mus primus Consultor si Episcopi auxiliares sunt in dioecesi incardinati. Cui respondetur eos revera esse incardinatos.

Can. 950

Notat Ill.mus Secretarius ad. in hoc canone agi de significatione verborum determinanda, et, cum probabiliter in novo Codice detur titulus «de

significatione verborum», praescriptum huius canonis melius sub illo novo titulo haberi. Ideo, ait, textus, qui admittetur, provisorie tantum ponetur sub titulo «De Ordine». Ad textum proponit ut dicatur «In iure verba... sese referunt ad, nisi...».

Plerique autem Consultores huius coetus aestimant in hoc titulo praescriptum esse omittendum; de hac materia potest, iuxta eos, quaestio esse sub titulo «de verborum significatione».

Ergo cadit hic canon 950.

B. DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 951

Iuxta omnes mutandus ita est textus ut aptetur propositioni factae de supprimendis Ordinibus minoribus, et de servando subdiaconatu tamquam Ordine minori. Itaque textus fit: «Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet caractere episcopali careat, a iure vel ab Apostolica Sede per peculiare indultum potestatem acceperit subdiaconatum conferendi».

Can. 952

Aestimant plerique hunc canonem esse supprimendum. Ratio est secundum plerosque eorum, quia hoc praescriptum non est practicum. Addit Ill.mus primus Consultor rationem, quia Const. *Lumen gentium* criterium dat pro limitatione potestatis episcopalis, scilicet «intuitu Ecclesiae vel fidelium», quod non verificatur in casu. Solus Ill.mus quartus Consultor censet requiri ut petatur consensus Romani Pontificis in tali casu. Alii vero omnes aestimant praescriptum supprimendum esse.

Ergo supprimitur canon.

Can. 953

Agit de mandato requisito a Summo Pontifice ut aliquis Episcopus quemquam possit licite consecrare in Episcopum.

Aestimant Exc.mus tertius Consultor necessarium esse consensum Summi Pontificis, quia consecratio in Episcopum est actus quo aliquis intrat in Collegium Episcoporum. Convenit igitur ut interveniat Caput Collegii.

Dissentiunt Exc.mus septimus Consultor, qui censet sufficere communionem cum Romano Pontifice, et non requiri consensum eius, et Ill.mus primus Consultor, qui affirmat sufficere factum quod Summus Pontifex nominavit aliquem in Episcopum. Cui tamen Ill.mus Secretarius ad. respondet nominationem seu institutionem Episcoporum per Summum Pontifex non esse immutabilem et per saecula Episcopos fuisse electos. Aestimat ergo Ill.mus Secretarius ad. consensum Romani Pontificis requiri ut quis ordinetur in Episcopum.

Proponit Rev.mus quintus Consultor ut forsan dicatur requiri consensum Summi Pontificis, nisi constet de institutione canonica per eundem Summum Pontificem.

Ill.mus Secretarius ad. proponit ut textus admittatur; qui infra notatur uti approbatus a coetu. Omnes textum propositum approbant, excepto Ill.mo primo Consultore, qui est contrarius, aestimans hanc dispositionem esse superfluum: «Cum Membrum Corporis Episcopalis aliquis constituatur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris, nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato» (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 4).

Can. 954

Secundum canonem Codicis, Episcopus consecrator debet duos alios Episcopos adhibere, qui sibi in consecratione assistant, nisi...

Notat Exc.mus tertius Consultor illos Episcopos non assistere, sed esse conconsecratos. Ergo verbum «assistant» non convenit.

Rogat Rev.mus sextus Consultor ut dicatur: «Licet valida sit consecratio ab uno Episcopo facta (Cf. Pius XII, Const. *Consecratio episcopalis*, 1944), tamen Episcopus consecrator debet alios duos Episcopos conconsecratos adhibere, nisi...».

Quaerit Rev.mus secundus Consultor ut ratio theologica detur: «Episcopus consecrator, secundum usum antiquitus inductum et rationem collegialem innuentem, debet, alios duos Episcopos adhibere».

Notat Ill.mus Secretarius ad. verbum «adhibere» cum «alios Episcopos» non convenire, quia res quidem adhibentur, non personae. Proponit idem textum breviorum, modo sequenti enuntiandum: «Episcopus consecrator sibi adiungat duos Episcopos conconsecratos, nisi hoc super praescripto a Sede Apostolica dispensatum fuerit».

Qui textus ab omnibus admittitur.

Can. 955, § 1

De sententia omnium membrorum coetus, servandus est textus huius § canonis 955, omisso solo verbo «eiusdem». Quare textus est: «Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis».

In can. 956 declaratur quisnam sit Episcopus proprius.

Can. 955, § 2

De sententia Ill.mi primi et aliorum Consultorum immutata servari debet § 2 canonis.

Rev.mus sextus Consultor rogat utrum restrictio quoad Orientales servari debeat, quia aestimat magis catholicum esse ut non servetur. Attamen, iuxta Ill.mum Secretarium ad. servanda est restrictio haec, quia certo mens est Episcoporum Ecclesiarum Orientalium ut servetur. Quare omnes conveniunt textum servandum esse uti est in Codice: «Episcopus proprius, iuxta causam non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus sine apostolico indulto, licite ordinare non potest».

Can. 956

Determinatur Episcopus proprius quoad ordinationes, pro saecularibus. Sat longa est discussio inter membra coetus de hac quaestione.

In votis prolatis, variae iam sententiae erant:

a) Ill.mus primus Consultor principium proponit: «Ordinarius proprius pro clericis dioecesanis, est Episcopus dioecesis cui clericus iam incardinatus est. Pro conferenda prima tonsura, Episcopus proprius est is in cuius dioecesi promovendus habet domicilium vel cuius servitio, ex libera eius electione, dicandus est»;

b) Rev.mus quintus Consultor notat rationem esse habendam de iis quae proponuntur quoad incardinationem et de obligatione dioecesium adiuvandi dioeceses clero orbatas;

c) Rev.mus sextus Consultor dubitat de opportunitate servandi criterium ratione originis, et proponit ut omnibus imponatur iusiurandum, tum saecularibus tum religiosis.

In dissertatione orali variae etiam sententiae proferuntur. Rev.mus quintus Consultor proponit ut Episcopus proprius sit Episcopus dioecesis in qua quis est per subdiaconatum incardinatus; et pro subdiaconatu conferendo, proprius Episcopus sit ille cuius dioecesi se dedicare intendit ordinandus.

Attamen, notat Ill.mus quartus Consultor, quod multi adibunt dioeceses meliores.

Quaestio ponitur utrum servari debeat « origo ».

Exc.mus tertius Consultor rogat ut servetur praescriptum vi cuius Episcopus proprius est Episcopus originis: naturalis conditio uniuscuiusque considerari debet et attendi.

Contendit Exc.mus septimus Consultor, quia, ait, periculum est in libertate electionis.

Ill.mus Secretarius ad. instat ut servetur etiam momentum originis, quia est traditionalis solutio, inde a cap. *Cum nullus* Bonifacii VIII inducta. Insuper ligamen datur cum loco originis. Sed proponit ut dicatur quod Episcopus proprius est Episcopus domicilii aut originis aut dioecesis cui sese devovere intendit ordinandus (iam non subdiaconus), sed in hoc casu de consensu Episcopi domicilii.

Conveniunt plerique, sed Rev.mus sextus Consultor censet non servandum esse criterium originis.

Conveniunt etiam membra non esse servandam obligationem ad iusiurandum, etiam Rev.mo sexto Consultore consentiente. Quare admittitur propositio: « Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per subdiaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui non iam sunt clerici, et in clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit ».

Can. 957

Iuxta votum Ill.mi primi Consultoris, in § 1 addi debet mentio Praelati qui praeest Praelaturae personali, et etiam Vicarii Castrensis, et in § 2 melius diceretur in fine quod secus ordinatio illicita est, non irrita.

Notat autem Ill.mus Secretarius ad. quod, si in § 1 addi potest mentio Praelati qui praeest Praelaturae personali, quippe qui incardinandi habeat facultatem (cf. Paulus VI, M. P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 1, 4), non potest addi mentio Vicarii castrensis, qui non incardinat.

Ad mentem Rev.mi quinti Consultoris ultima verba § 2 omitti possunt. De sententia Ill.mi primi Consultoris, dici posset « secus incardinatio non sequitur ». Tandem proponit Ill.mus Secretarius ad. ut in § 2 omittantur verba « durante munere », quia illud per se patet. Quare textus admittitur proponendus, ut sequitur: § 1. « Vicarius et Praefectus Apostolicus, Ab-

bas et Praelatus proprio territorio praepositus, Administrator Apostolicus, itemque Praelatus Praelaturae personali praepositus, si caractere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem.

§ 2. Qui, si episcopali caractere careant, possunt in proprio territorio ordinem subdiaconatus conferre tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant ».

Can. 958

Agitur de iis qui litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt.

Ad § 1 huius canonis, diversi numeri considerantur:

a) Ad n. 1, notat Ill.mus primus Consultor dici non posse quod Episcopus dioecesanus potest dare litteras dimissorias, *etiam Episcopus non iam consecratus*. Iuxta eum, Episcopus non potest possessionem capere dioecesis, nisi postquam consecratus est. Ad quae animadvertit Ill.mus Secretarius ad. ubi de Episcopis agitur, statui potest Episcopum possessionem dioecesis sibi commissae capere tantum posse postquam est consecratus; in can. 958 autem statui non potest Episcopum tantummodo litteras dimissorias dare posse postquam consecratus est, quia tali casu denegaretur Episcopo electo quod conceditur Vicario generali (n. 2) et Vicario capitulari (n. 3). Quaerit Ill.mus primus Consultor ut deinceps non dicatur «Episcopus electus», sed «electus in Episcopatum». Concluditur quoad num. 1: in hoc canone tantummodo dicitur litteras dimissorias dare posse Episcopum dioecesanum, postquam possessionem dioecesis suae legitime ceperit, et nihil aliud addendum est.

Votum autem exprimit hic coetus ut, ubi de Episcopis agitur, statuatur Episcopum possessionem dioecesis tantummodo capere posse post consecrationem episcopalem receptam. Id enim consentaneum est doctrinae de Episcopatu a Concilio Vat. II traditae. Quare textus n. 1 ut proponitur, est: «Episcopus dioecesanus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit ad normam can. 334, § 3». In nota: in votis est ut post consecrationem episcopalem tantummodo possit possessionem capere.

b) Ad n. 2, iuxta omnes, servandus est textus Codicis, addita tamen mentione Vicarii Episcopalis, qui etiam, de mandato speciali, potest litteras dare. Quare textus proponitur: «Vicarius Generalis et Vicarius Episcopalis, ex speciali tamen Episcopi mandato ».

c) Ad n. 3, variae mutationes postulantur: Exc.mus tertius Consultor opinatur supprimi debere verba « post annum... » usque ad finem numeri, ut maior libertas detur Vicario Capitulari. Maiorem libertatem pro Vicario Capitulari etiam postulat Rev.mus quintus Consultor. Rogat Ill.mus primus Consultor ut dicatur necesse esse consensum *Consilii presbyteralis*, non vero Capituli cathedralis. Sed animadvertit Ill.mus Secretarius ad. Consilium presbyterale per vacationem Sedis episcopalis cessare (cf. Paulus VI, Motu Proprio Ecclesiae Sanctae, n. I, 15, § 4). Aestimat vero Ill.mus primus Consultor hanc praescriptionem esse mutandam. Rogat etiam ut dicatur « Vicarius Sedis vacantis », sed, proponente Ill.mo Secretario ad. haec expressio, non recepta in iure, non admittitur. Tandem rogat Ill.mus Secretarius ad. ut in hoc numero mentio fiat etiam Administratoris Apostolici atque Provicarii Apostolici (de quo in responso Comm. Interpr. Codicis, 20 iulii 1929). Sed notat forsitan melius sermonem fieri de Provicario Apostolico in n. 4, quia non eadem est figura Provicarii ac Vicarii Capitularis. Unde textus proponitur: « Administrator Apostolicus, atque Vicarius Capitularis (de consensu Capituli cathedralis) ».

d) Ad n. 4. In hoc numero addenda est mentio Pro-vicarii et Pro-praefecti Apostolici. Insuper mentio fieri debet Praelati qui praepositus est Praelaturae personali. Quare textus fit: « Vicarius ac Praefectus Apostolicus, atque Pro-vicarius et Pro-praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio praefectus, itemque Praelatus Praelaturae personali praepositus, licet episcopali caractere careant, etiam ad ordines maiores ».

Ad § 2 canonis: aestimat Exc.mus tertius Consultor retinendum esse textum Codicis.

Iterum rogat Ill.mus primus Consultor ut dicatur « Vicarius sedis vacantis » loco « Vicarius Capitularis ».

Ill.mus Secretarius ad. censet textum Codicis « qui ab Episcopo reiecti fuerint » esse nimis durum, et proponit « quos Episcopus ad ordinationem non admiserit ». Insuper, rogante Rev.mo sexto consultore, mentio facienda est etiam de Pro-Vicario et Pro-praefecto. Itaque textus proponitur: « Vicarius Capitularis atque Pro-vicarius et Pro-praefectus Apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quos Episcopus dioecesanus aut Vicarius vel Praefectus Apostolicus ad ordinationes non admiserint ». (Forsan melius est dicere « iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto Apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit ». Nota Secretarii adiuncti).

Can. 959

De sententia omnium, servari debet textus canonis. Itaque est: « Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si necessariam ordinis potestatem habeat ».

Can. 960

Omnibus membris coetus consentientibus, sufficit § 1 huius canonis, et aliae §§ supprimi possunt. Quare textus proponitur: « Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur ad normam cann. 993-1000 ».

Can. 961

Secundum omnes, mentio Cardinalis Episcopi suburbicarii deleri debet, et simpliciter enuntiari debet textus ut sequitur: « Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi ».

Can. 962

Iuxta Rev.mum secundum Consultorem suppressi potest hic canon, quia res per se patet. Exc.mus tertius Consultor consentit, quia in alio loco regula generalis datur pro omnibus actibus. E contra, aestimat Rev.mus quintus Consultor conservandum esse textum, quia dubium haberi potest de aliis rebus quam de actis indole germana. Unde omnes, excepto Rev.mo sexto Consultore, admittunt servandum esse textum, dempta clausula « salvo praescripto can. 994, § 3 », quae necessaria non est. Quare textus est: « Quilibet Episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat, dummodo ipse de germana litterarum fide dubitare minime possit » (latinitatis causa, melius est dicere « minime » aut « nequaquam », quam « nullatenus », quod est latinitatis posterioris).

Can. 963

Ill.mus primus Consultor aestimat praescriptum canonis esse mutandum, ut dicatur: « Nisi aliter a concedente statutum fuerit, litterae dimissoriae intelliguntur ad quinquennium datae », quia ita relatio magis personalis habetur Episcopo cum ordinandis. Quae propositio aliis non placet.

Animadvertit Rev.mus quintus Consultor verbum «limitare» non esse latinum, et alium modum dicendi magis latinum adhibendum esse. Proponit Ill.mus Secretarius ad. expressionem «limitibus circumscribi». Quare admittitur textus sequens: «Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non exstinguuntur resoluto iure concedentis».

Can. 964

In genere optant membra coetus ut detur legislatio simplicior de facultate ordinandi religiosos et de facultate dandi litteras dimissorias pro eisdem. Variae animadversiones habentur quoad singulos numeros huius canonis; qui numeri modo successive considerantur.

1) *Ad n. 1.* Proponit Ill.mus Secretarius ad. ut distincte determinetur potestas Abbatis de regimine, qui est Episcopus, et eiusdem, qui non est Episcopus. Et propositio concreta ita facta ab omnibus admittitur. Textus est sequens: «Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio, qui est Episcopus suis subditis ordines conferre valet; qui vero non est Episcopus, sed presbyter, dummodo benedictionem abbatialem receperit, ordinem subdiaconatus dumtaxat et quidem solis suis subditis valide confert, revocato quolibet privilegio contrario». Haec ultima clausula proposita a Rev.mo quinto Consultore admittitur, ut unitas in legislatione habeatur.

2) *Ad n. 2.* Notat Exc.mus secundus Consultor solvendum esse dubium, scilicet an etiam Superiores maiores religionis laicalis exemptae litteras dimissorias dare possint, attentis cc.198 § 1 et 501 § 1. In partem positivam citat H. Hanstein, *Ordensrecht*, Paderborn, 1953, 174, et F. Cappello, *De sacra ordinatione*, Taurini-Romae, 1951, 242. Et affirmat ad rem videri quae habet Decr. *Perfectae caritatis*, n. 10, ubi declaratur: «Sacra Synodus declarat nihil obstare quominus in religionibus Fratrum, firma manente earum indole laicali, ex dispositione Capituli generalis, ad subveniendum necessitatibus ministerii sacerdotalis in suis domibus, aliqui sodales sacris Ordinibus initientur». Haec declaratio inducit necessitatem definiendi competentiam Superiorum maiorum in his religionibus quoad litteras dimissorias.

Animadvertit Rev.mus quintus Consultor distinctionem non esse faciendam inter exemptos et non exemptos, quia de facto omnes religiones iuris pontificii recipiunt facultatem dandi litteras dimissorias. Quare, scilicet ut ratio habeatur huius praxis, proponit Ill.mus Secretarius ad. ut po-

tius fiat distinctio inter Religiones iuris pontificii et Religiones iuris dioecesanis; quod omnes admittunt.

Proponit Rev. mus quintus Consultor ut Superiori maiori instituti iuris pontificii concedatur facultas dandi litteras dimissorias ad ordines maiores omnibus subditis suis qui «permanenter» adscripti sunt instituto, atque ad solum subdiaconatum subditis suis qui non iam permanenter adscripti sunt instituto. In legislatione de religiosis definiri debet quinam sint permanenter adscripti alicui religioni, quinam vero non.

Ill. mus primus Consultor opinatur distinctionem inter exemptos et non exemptos esse vitandam, et proponit textum «Religiosus a nullo Episcopo ordinari licite potest sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris», et addit alium textum «Quilibet Superior maior litteras dimissorias suis subditis concedere potest, ita tamen ut si agatur de promovendis ad ordines maiores necesse sit ut candidatus professionem perpetuam emisit; pro reliquis ordinibus professio temporalis sufficit»; et supprimi potest n. 4. Alii autem Consultores aestimant distinctionem esse faciendam inter religiosos religionis iuris pontificii et religiosos religionis iuris dioecesanis. Quare provisorie proponitur textus: «Superiori maiori instituti iuris pontificii exclusiva competit facultas suis subditis iuxta Constitutiones permanenter instituto adscriptis concedendi litteras dimissorias ad ordines maiores; item eidem competit facultas easdem concedendi aliis suis subditis, sed ad ordinem subdiaconatus dumtaxat». Notatur legislationem de Religiosis statuere debere quinam permanenter adscripti sint religioni aut Societati virorum in communi viventium sine votis.

3) *Ad nn. 3 et 4.* Sufficit unus numerus, in quo agitur de religiosis religionis iuris dioecesanis, vel melius de omnibus aliis, de quibus non agitur in n. 1 et 2. Post deliberationem, conveniunt membra coetus proponendum esse quod ordinatio ceterorum alumnorum religionis aut Societatis virorum in communi viventium sine votis, regenda est iure saecularium. Quare proponi potest: «Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis aut Societatis virorum in communi viventium sine votis, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario». Notetur Exc. mum tertium Consultorem proposuisse ut acceptetur disciplina introducta pro Orientalibus, in Motu Proprio *Postquam Apostolicis Litteris*, 9 febr. 1952, can. 131 et 228, § 3. Sed haec legislatio aliis videtur nimis implicata et provisorie retinetur textus supra indicatus.

Quaestio ponitur utrum regula stabilita in n. 2, vi cuius Superiores maiores in religione iuris pontificii habent facultatem dandi litteras dimissorias, valeat etiam pro Superioribus religionis laicalis, in qua sunt aliqui

clerici. Aestimant hanc regulam etiam valere pro Superioribus religionis laicalis Exc.mus tertius, Ill.mi primus et quartus, Rev.mi sextus et nonus Consultores, dum Rev.mus quintus Consultor sese abstinere a suffragio ferendo, ceteris membris coetus absentibus.

4) *Additio* proponitur facienda ab Ill.mo primo Consultore: «Integrum est Episcopo ordinanti de adimpletis canonicis requisitis pro suo prudenti iudicio testimonia quaerere». Hoc modo, iuxta eundem, provideatur opportunae vigilantiae.

Animadvertit autem Ill.mus Secretarius ad. quaestionem vigilantiae esse diversam a quaestione facultatis dandi litteras dimissorias, et non in hoc canone esse tractandam. Conveniunt cum Secretario adiuncto alia membra coetus, et proponit Rev.mus quintus Consultor ut loco can. 962 ponatur regula: «Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro religiosis, esse authenticas atque ad normam iuris concessas». Aestimat Ill.mus quartus Consultor hanc regulam non esse necessariam, et tantum poni quaestionem utrum sit conveniens. Alii autem omnes censent regulam esse necessariam. Quare loco can. 962 proponitur praescriptum sequens: «Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro religiosis, esse authenticas atque ad normam iuris concessas».

(Nota Secretarii adiuncti: recognoscenda videtur legislatio proposita de litteris dimissoriis pro religiosis, quia videtur incompleta; valet etiam haec regula pro Societatibus quae a Sede Apostolica donantur facultate sibi clericos incardinandi seu adscribendi. Ergo compleri debet textus; in initio can. 964 dici potest: «Quod attinet ad ordinationem religiosorum atque sodalium Societatum quae ab Apostolica Sede facultate donantur sibi clericos adscribendi». In proxima sessione coetus textus hic subiiciendus est iudicio membrorum. Ceterum, alii quidam textus recognosci debent).

Can. 965

Notat Rev.mus quintus Consultor: frequentes sunt hodie casus, in quibus religiosi ad studia absolvenda alibi mittuntur, ita tamen ut pro ordinibus recipiendis in patriam vel in provinciam revertantur. Ea de causa hi canones, saltem in hoc rigore, videntur, inopportuni (scil. cann. 965-967). Ill.mus primus Consultor proponit ut libertas relinquatur ordinando. Attamen, ut notat Rev.mus quintus Consultor, reverentia erga Episcopum dioecesis in qua moratur religiosus, exigit ut ipse Episcopus ordinationes faciat, ut ad eum mittantur litterae dimissoriae, aut si alii mittantur, ut Episcopus dioecesis conveniat.

Rev.mus sextus Consultor, propter difficultates quae exsurgunt, omitteret canones 965-967. Contrarius omissioni can. 965-966 est Ill.mus Secretarius ad. quia incertitudo remanere non potest et requiritur aliqua regula. Proponit etiam ut unus canon habeatur complectens praescripta can. 965 et 966. Consentiant omnes.

Quaeritur a Rev.mo quinto Consultore utrum etiam sermo faciendus sit de casu quo ordinandus est ritus diversi a ritu Episcopi dioecesis in qua commoratur ordinandus. Sed admittitur deinde Episcopum monendum esse, ratione vigilantiae quam exercet. Unde proponitur can. 965 complectens duas §§.

§ 1. «Episcopus ad quem Superior religionis aut Societatis litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis in qua ordinandus tempore ante ordinationem peracto legitime commoratus est.

§ 2. Iusta tamen de causa idem Superior litteras dimissorias ad alium Episcopum mittere potest, monito tempestive Episcopo de quo in § 1. Quod si ordinandus sit diversi ritus, ad Episcopum eiusdem ritus litteras dimissorias mittere debet Superior, monito item Episcopo de quo in § 1 ».

Can. 966

Praescriptum huius canonis, mitigatum quidem, inseritur in propositum canonem 965 § 2; ideo supprimitur can. 966.

Can. 967

Praescriptum huius canonis, quo disponitur: «Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant... etc.», iuxta membra coetus videtur aliquatenus offensivum pro Superioribus religiosis. Itaque proponitur a nonnullis ut expungatur. Quod omnes admittunt.

* * *

In fine sessionis, Secretarius adiunctus legit textum canonum propositorum 731-736, quorum textus, iam paratus, singulis Consultoribus distribuitur.

Ad can. 731 bis, iterum rogat Rev.mus sextus Consultor ut loco verborum «catholici ad sacramenta admitti possunt», adhibeantur verba «catholici... admittantur».

Animadvertit autem Ill.mus Secretarius ad. ad Ordines neminem admitti debere, et ideo formulam «admitti possunt» servandam esse.

Notat Rev.mus quintus Consultor in aliis locis, ubi de officiis Episcoporum et parochorum v.g. statui catholicos ad sacramenta admitti debere ad quae recipienda ius habent.

Rogat etiam Rev.mus sextus Consultor ut inseratur canon, quo affirmatur catholicos petere posse administrationem sacramentorum ab orientalibus seiunctis. Sed, animadvertit Rev.mus quintus Consultor locum ad talem praescriptionem non esse hic, sed ubi de communicatione in sacris. Non admittitur ergo propositio Rev.mi sexti Consultoris.

Ad can. 732, § 2, iterum instat Exc.mus tertius Consultor ut adhibeantur verba «pro non collatis habeantur». Respondet autem Ill.mus Secretarius ad. textum approbatum convenire, quia magis clarus est et iuridicus. Aestimat Ill.mus quartus Consultor, in eodem canone dici posse «si dubium solvi nequeat». Ast, ut respondet Ill.mus quartus Consultor, verba «si dubium exsistat», ostendunt factam esse inquisitionem et dubium non esse solutum. Admittunt deinde membra textum approbatum uti textum provisorium esse servandum, sed in proxima sessione alias fieri posse propositiones.

Ad can. 733, § 1, censet Rev.mus sextus Consultor formula adhibita excludi Missam. Sed, ut notat Ill.mus Secretarius adiunctus, quaestio in canone est de sacramentis in genere, et ideo etiam attenditur S. Eucharistia, de qua ceterum specialiter agendum est.

Ad can. 735, rogat Rev.mus sextus Consultor ut dicatur «et Rector Ecclesiae», et non tantummodo «parochus». Sed aestimat Rev.mus quintus Consultor illud non requiri, quia in iure Rector Ecclesiae aequiparatur parochus.

Secretarius adiunctus deinde, postquam gratias egit omnibus coetus membris de labore peracto, declarat se textum omnium propositorum canonum ad singula coetus membra missurum, ita ut omnes animadversiones, etiam in scriptis, facere valeant, et, si id expedire iudicaverint, alias propositiones submittere possint. Et ita explicit sessio huius coetus «de Sacramentis».

W. ONCLIN
Secretarius ad.

TEXTUS CANONUM

DE ORDINE

Can. 948. Ordo ex Christi institutione inter christifideles constituit sacros ministros seu clericos, qui quidem eodem deputantur ut in persona Christi pascant Dei populum, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri.

Can. 949. Ordines maiores sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus; ordo minor est subdiaconatus.

Can. 950 (supprimitur).

Caput I

DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 951. Sacrae ordinationis minister ordinarius, est Episcopus consecratus; extraordinarius, qui, licet caractere episcopali careat, a iure vel ab Apostolica Sede per peculiare indultum potestatem acceperit subdiaconatum conferendi.

Can. 952 (supprimitur).

Can. 953. Cum membrum Collegii Episcopalis quis constituatur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris, nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.¹

Can. 954. Episcopus consecrator sibi adiungat duos Episcopos consecratores, nisi hoc super praescripto a Sede Apostolica dispensatum fuerit.

Can. 955, § 1. Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis.

§ 2. Episcopus proprius, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

¹ Cf. CONC.VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 4.

Can. 956. Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per subdiaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui non iam sunt clerici et clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit.

Can. 957, § 1. Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas et Praelatus proprio territorio praepositus, Administrator Apostolicus, itemque praelatus Praelaturae personali praepositus, si caractere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem.

§ 2. Qui, si episcopali caractere careant, possunt in proprio territorio ordinem subdiaconatus conferre tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant.

Can. 958, § 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt:

1° Episcopus dioecesanus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit ad normam can. 394, § 3;²

2° Vicarius Generalis et Vicarius Episcopalis, ex speciali tamen Episcopi mandato;

3° Administrator Apostolicus, atque, de consensu Capituli cathedrali, Vicarius Capitularis;

4° Vicarius et Praefectus Apostolicus, atque Provicarius et Pro-praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio praefectus, itemque Praelatus Praelaturae personali praepositus, licet episcopali caractere careant, etiam ad ordines maiores.

§ 2. Vicarius Generalis atque Pro-vicarius et Pro-praefectus Apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto Apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit.

Can. 959. Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si necessariam ordinis habeat potestatem.

Can. 960 Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur ad normam cann. 993-1000.

² Votum exprimit coetus consultorum « de Sacramentis » ut statuatur in iure, in legislatione de Episcopis, Episcopum possessionem sedis capere posse tantummodo post receptam consecrationem episcopalem.

Can. 961. Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo diversi ritus a ritu promovendi.

Can. 962. Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro religiosis esse authenticas atque ad normam iuris concessas.

Can. 963. Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluto iure concedentis.

Can. 964. Quod attinet ad ordinationem religiosorum atque sodalium Societatum quae ab Apostolica Sede facultate donantur sibi clericos adscribendi;

1° Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio, qui est Episcopus, suis subditis ordines conferre valet; qui vero non est Episcopus, sed presbyter, dummodo benedictionem abbatialem receperit, ordinem subdiaconatus dumtaxat et quidem solis suis subditis valide confert, revocato quolibet privilegio contrario;

2° Superiori maiori instituti iuris pontificii exclusiva competit facultas suis subditis iuxta Constitutiones permanenter instituto adscriptis concedendi litteras dimissorias ad ordines omnes; item eidem competit facultas easdem litteras concedendi aliis subditis suis, sed ad ordinem subdiaconatus dumtaxat;

3° Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis aut Societatis facultate sibi clericos incardinandi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario.

Can. 965, § 1. Episcopus ad quem Superior Religionis aut Societatis litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis in qua ordinandus tempore ante ordinationem peracto legitime commoratus est.

§ 2. Iusta tamen de causa, idem Superior litteras dimissorias ad alium Episcopum mittere potest, monito tempestive Episcopo de quo in § 1. Quod si ordinandus sit diversi ritus, ad Episcopum eiusdem ritus litteras dimissorias mittere debet Superior, monito item Episcopo de quo in § 1.

Can. 966 (cadit).

Can. 967 (supprimitur).

W. ONCLIN

